

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput XX

urn:nbn:de:bsz:31-97032

C A P U T X X .

D E C R Y S T A L L O ,
Iride & Adamante.

D E ottu Crystalli dissentiunt scriptores. Vehementiore gelu fieri ex nive vel glacie author est *Plinius l. 37. cap. 2.* Succum intra terram à frigore condensatum statuit *Agricola l. 6. fossil.* Prior videtur amplectenda. Non tantum id nomen postulat, sed & loci natales. Invenitur enim in iis ubi hybernæ nives sunt, in Alpium adeo inviis, ut plerumque fune pendentes eum attrahant. In Asia & Cypro aratro eruitur & à torrentibus deportatur. *Scal. Exerc. 119.* È rupibus Percianis, quæ sunt in extremis Noricis, & summis ibidem montibus nulla humo testis avellitur. In est illi interdum argenteum rude, plumbaginis colore. Varium eidem pondus. In India tam ampla est inventa, ut ex ea vas fieret, quatuor capiens sextarios. Livia Augusta unam in Capitolio dicavit, ex hac libratum quinquaginta amphora. Raro inveniantur solitaria, una plures sæpius radice nituntur, junctim modo assurgentes, separatis modo: jacent nonnunquam affixa, ut ayele re arduum videatur opus. Omnis verò Crystalli musco, ac universum corpus est sexangulus. A Solis liquari nequit calore, summa enim frigoris intensio, tantam ei soliditatem attulit, ut vinci modico nequeat. Impatiens tamen fervoris *Bodin. l. 2. Theat. Natura.* Ardentissimus enim fornacibus, diuturnaque flamma liquatur, liquata rursus concreseit, & in calicem crystallinum, liquor si infundatur calidus, rumpitur. Vertiginis putatur hostis appensa, & ex ejus poculo, illius bibitur gratia. *Plater. l. 1. de l. f.* Fiant ex ea calices & trulla, qualem à matrefamilias, non divite *H. S. C. L. Mercatam* scribit *Plinius.* Habuit unam Panciolla splendida materia, adeò translucentem, ut aëre fere videatur, extremis solum visui expositis partibus. Continebat Chelidrum, qui ore aperto deglutitus agnel-

G. 5. lum;

154 ADMIRANDA

lum, ab opposita impidebatur ciuce. *Panciroll. de Veterib. Deperd.* l. 1. *Iris* candida etiam gemma est. Si habet sexangulam formam, exposita Solis per fenestram penetrantibus ratiis, arcus cœlestis in adversam partem jicit colores. *Adamas* in multis inventut metallis. Nucleum avellanæ non excedit Indicus, milii magnitudinem Cenchros: *Agricola*. l. 6. de fossil. Multa de ea Veteres. Nullis, nempe, iætibus frangi posse, Magneti vim adimere, igni ita resistere, ut nunquam incandescat. Contrarium experti Neoterici. *Camer. Memorab. Medic. cap. 8. m. 42.* Nam & in scobem malleo redigitur, & ferreo atteritur pistillo. Ignibus cedit, & in calcem flamma diuturna redigitur. Attamen, quamvis igni appositus horæ spacio suum amittat splendorem, eundem recuperat politus, minuto splendore. Expertum, in mutuo attritu sic glutinari, ut facile separari non possit. *Bodin. Theatri Nature, l. 2.* Visus ubi incaluisset trahere festucas: *Garzia ab Horto, l. 1. Arom. cap. 47.* Pulverem illius propinatum dysenteriam gignere haec tenus creditum, falsum compertum. Devoraverunt quosdam mancipia ut furum tegerent, integras illæsa egesserunt valetudine. Drachmæ unius pondere sub forma scobis propinatus non magis quam panis obfuisse dicitur. *Cardan. l. 2. tract. 5. Contrad. 9.* Turcarum Imperator 5000. aureorum pro uno dedit.

CAPUT XXI.

DE OPALO, SMARAGDO,
Heliotropio, & Topazio.

Opalus gemma est, quæ cum inclinatur, est illi carbunculi tenuior ignis, est amethysti fulgens purpura, est Smaragdi virens mare, & cuncta patiter incredibili mixtura lucentia. *Smaragdus* vicinum aëtem proprio ita inficit tinctu, ut nec lucernis, nec umbbris cedat. Hinc in aquam positus major appetat spectantibus. Qui non omnino virides ex illis nascuntur, vino & oleo,